



Dass

NOT

+

24 29
INAVGVRATIONEM
NOVI RECTORIS
IN SCHOLA OPPIDANA HELMSTADIENSI

VIRI
NOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI
DOMINI
CONRADI NAHMMACHERI

SS. THEOL. CANDID. DIGNISSIMI

DIE XXIV. FEBRVARII MDCCLVI.

S V S C I P I E N D A M

INDICIT

ET SIMVL

MAECENATES PATRONOS FAVTORESQVE
LITERARVM HVMANIORVM
VT HVNC ACTVM PRAESENTIA SVA ILLVSTRIOREM
REDDERE VELINT

OBSERVANTISSIME ET OFFICIOSISSIME

ROGAT

CHRISTOPHORVS TIMOTHEVS SEIDELIVS

S. TH. D. SEREN. DVC. BRVNOVIC. AC LVNEBVRGENS. A CONSIL. ECCLES.
ABBAS CAPIT. IMPERIAL. LIBER. REGIAE - LVTTER. SVPERINT. GENERAL.

HELMSTADIENS. PROF. PRIMAR. ET PROT - ECCLESIAST.

SCHOLAE EPHORVS,

HELMSTADI
LITTERIS LEVCKARDIANIS.

IN AVGVSTIEN
NOVI LEO T O R I S
IN SCHOLA OMDIA HELMSTADENSIS

VIT
KONIGLICHEN AKADEMIE DOCTISSIMI
D O M I N I

CONRADI NANNI MAESTRI

ET THEOL. CANON. NICKELII
DIE FÜR THEOLOGIE HELMSTADT
VERLEHRT

MAESTRIUM ET THEOLOGUM NANNI
ET THEOL. CANON. NICKELII

ET THEOL. CANON. NICKELII
DIE FÜR THEOLOGIE HELMSTADT
VERLEHRT

CHRISTOPHORI MAESTRI
ET THEOL. CANON. NICKELII

ET THEOL. CANON. NICKELII
DIE FÜR THEOLOGIE HELMSTADT
VERLEHRT

ET THEOL. CANON. NICKELII
DIE FÜR THEOLOGIE HELMSTADT
VERLEHRT





I nter ea, quae follers rerum in-
ter mortales obseruatio nos con-
docefacit, haud postremum est:
amissa bona difficilius recupera-
ri. Saepissime enim in percipiendis bonis,
non iustum rebus singulis statuimus pre-
tium, sed vel infirmitate iudicii, vel affectibus
impediti, vel more saeculi, vel propria osci-

tantia in iis aestimandis abripimur. Quodsi vero bona, quibus gaudemus, et quibus ipse quotidianus usus nonnihil praestantiae ademisse quasi videtur, a nobis auferantur; tum demum, quid amiserimus, patere solet, et virtutem sublatam ex oculis quaerimus invidi, quam incolumentem paene oderimus.

Plurimis, si huius loci esset, hoc confirmare liceret exemplis, quorum nobis et in sacris paginis, et in aliis rerum gestarum monumentis datur copia. Sed haud opus est, e longinquo ista petere, cum nobis exemplum domesticum, et e scholae nostrae statu praesentis petitum, sit in promptu. Amissimus eius *Rectorem*, Virum Clarissimum atque Doctissimum, IOH. PETR. MILLERVM, virum ad scholam bene regendam tam arte quam potius ipsa natura factum, dum ex illa ad celeberrimum Halensium Gymnasium est euocatus. Spes nobis erat maxima, virum hunc praestantissimum Lyceo nostro quam diutissime fore ornamento. Omnium enim animos sua doctrina, modestia, diligentia, omnique virtute

te

tē ita sibi conciliarat, vt omnes boni eum co-
lerent atque obseruarent, nostrumque semper
esse vellent. Huc accedit, quod scriptis suis e-
ruditissimis, et ad promouendam salutem iu-
uentutis scholasticae egregie comparatis, ita
huius studiis inseruiret, ut scholam nostram
succedentibus annis nulli fere alii postponen-
dam duceremus. Neque tamen hanc felicita-
tem in ipso adsequi nobis datum est, sed Ha-
lenses ampliozem ei prouinciam decernendo,
suum esse voluerunt. Qua in recum non suae,
sed omnes diuinae prouidentiae directricis ef-
sent partes, non potuit non eo concedere, no-
bis vero triste sui desiderium relinquere. Tum
igitur, amisso hoc viro optimo, edocti sumus
illud, quod huius scriptiunculae initio dixi-
mus, amissa bona difficilius recuperari. Ne-
mo enim existimauerit, tam facile fuisse depre-
hendere, qui in locum eius surrogaretur, sed
potius multum curae atque sollicitudinis id
ipsum attulit *Patribus* huius *Ciuitatis*, quo-
rum in scholam nostram affectus, numquam
fatis depraedicandus, tot documentis constat.
Paucissimi enim sunt illorum, qui iis studiis,

quae ad humanitatem pertinent, et quibus iuuenilis aetas informari solet, sese ex animo dediderunt, sic vt ea non commodis suis, sed utilitate propria metiantur; sed plurimi malunt hosce labores subterfugere eaque ambire munera *, quibus se faciliori negotio functuros arbitrantur. Quare etiam diu multumque fuit consultandum, quomodo haec scholae nostrae calamitas, praestantissimi MILLERI discessu illata, refarciretur. Accessit, animumque ne desponderemus effecit *Serenissimi Ducis nostri CAROLI, Patris Patriae indulgentissimi*, in Scholam Rectore orbatam benevolentiae testimonium, idque prorsus eximium. Hic enim eam nouis sapientissimisque legibus et munire, et euehere ac augere instituit, sic vt iuuentuti studiosae eiusque discendi cupiditati in omnibus

* Commendanda his est doctissima elegantissimaque *Io. Matth. Gesneri commentatio de felicitate docentium in Scholis*, quae in eius *Opusc. Minor. var. arg. T. I. p. 59.* legitur, in qua multis argumentis edocet, et viros scholasticos vitam posse vivere beatam, dummodo sua bona norint, iisque sapienter vti didicerint.

bus sit consultum, nobisque spes sit haud exigua, ad eam magnum adolescentum ingenuorum numerum sapientiae et disciplinae causa conflurum. Animis igitur nostris hac singulari Principis Clementia paullulum alleuatis, consiliisque, de restauranda Rectore alio schola nostra, vltro citroque habitis, voti huius tandem facti fumus compotes, et illata est haec prouincia, annuente summo Numine, confirmante *Principe Serenissimo*, deligentibus *Ciuitatis* huius *Magistratibus Scholaeque Patronis*, Viro Nobilissimo atque Doctissimo.

CONRADO NAHMMACHER,

de quo paucis nobis nunc est exponendum. Patriam is habet Raceburgum, urbem celeberrimam, in qua Pater ipsius scholam publicam multis cum laudibus, magnisque iuuentutis scholasticae emolumentis, complures iam annos moderatur. Ab hoc igitur a prima aetate in omni disciplina est eruditus bonisque artibus imbutus, nec cui melius ad eas discendas se con-

confideret, habere potuit. Hic ergo Pater a-
mantissimus in omni literarum humaniorum
studio ita iuuenem perfecit, vt multo cum fru-
ctu studia sua ad academiam transferret, vberi-
usque profèqueretur. Igitur ante quatuor an-
nos ad hanc nostram Iuliam Carolinam se con-
tulit, et sanctioribus disciplinis ac scientiis to-
tum se dicauit, ordine ac diligentia, quibus
continentur, eas tractando. Neque solum li-
terarum diuinarum ac humaniorum studiis o-
mnem mentem deuouit, sed et cathedram, pu-
blice respondentis vice fungens, repetitis vici-
bus conscendit. In quo certamine eum non
solum fortiter itetisse, sed et ornate eleganter-
que respondisse, atque sic eum plurimis ante-
celluisse obseruatum est: cum complures vel
aegre tela emissa sustineant, vel Musis mansue-
tioribus, prout nunc fere in more esse solet,
parum dedisse operae, ex sermonis genere ne-
gligentiori, deprehendantur. Nec non reliqua
eius vita morumque probitas huic in literis se-
dulitati respondit, sic vt sapientiae et virtutis
studium, cum ambo proxima cognatione con-
tineantur coniungendum esse, suo exemplo o-
stende-

stenderet. Haec vero noster *Nabnmacherus*
in sequentibus suis verbis fusius exponet.

Editus sum in lucem Raceburgi A. R. S.
MDCCXXXIII. d. X. Kalendas Iunias. Pater mihi
est IOACHIMVS NAHMMACHER, qui primum lycei,
quod Strelitii floret, Rector, dehinc eodem munere in
officina bonae mentis Raceburgensi, per quadraginta an-
nos et quod excedit, functus; nunc scholasticis ab oc-
cupationibus, Serenissimi Megalopolitanorum Ducis in-
dulgentia, immunis, quietam traducit senectam. Ma-
ter EVA CHRISTINA, MENCKENIORVM de
gente est.

Nihil sibi carus pater laboris reliqui fecit, quin
me mature diuiniore doctrina, bonisque literis initiaret.
Quamuis enim multum ipsi temporis Scholasticis negotiis
impendendum esset, non tamen alii cuiquam curam mei
instituenti commisit: nec me etiam scholas publicas, im-
mo ne quidem quas ipse haberet, frequentare passus est.
Cui rei quid causae subesset intelligere non potui. Mne-
monica ars, quam ita vocant, erat, cuius ope facilem
mihi pater atque iucundum, addiscendorum rudimento-
rum laborem, reddebat. Exemplis frequenter, regulis
parce utebatur. v. c. in ea Grammatices parte quae de
nominum generibus exponit, nuda vocabula, eo confi-
lio, tabulae inscribent, ut tum ipsa, tum quae eandem
cum his vocabulis literas in fine haberent, suo quod-
que generi accenserem. Ita pariter vocabula regularum
a lege exempta, eum in modum inter se inuicem coniun-
gebat

gebat, vt inde commodus sensus, et qui mihi non poterat non arridere, emergeret. Solum me porro esse, et sine consuetudine aliorum, quando ipse aberat, voluit. hanc ob causam, vt ne sordes petulatum e confortio contraherem, et libris etiam delectari assuescerem. Saepe me autem, *vt mecum ipse loquerer, at cauere diligenterque attenderem ne cum homine malo loquerer,* (Craetis apud Senecam vsus verbis,) admonuit. Paulo me prouectiorem aetate eo adduxit, vt orationes qualescunque, si qua esset occasio, amicorum in confesso haberem: vel fabulam etiam quandam, quum essent inter, amicos quos id potissimum genus exercitii iuuaret, facerem. Praeter haec aliquam operam iis studiis quae oblectamento sunt, veluti musicae arti, picturae, et botanicae, a me impendi, e re ipsi visum fuit.

Haec de patre. Illustris Vir, CONRADVS HILDEBRANDVS seren. Megalop. Duci a consiliis iustitiae intimis, nomine quidem Compater, mente autem et ipse Pater est. Cl. IOH. BENI. WIEZIVS Lauenburgensis scholae, quae Raceburgi est, Rector, adeo bene mihi cupiit, vt iis ipsum accensere, qui communem mecum patre habuerunt curam, nullus dubitem.

Antequam autem patriae linquerem arua, suppedit mihi alios literis imbuendi occasio, quam vt ne e manu emitterem, optimus pater auctor mihi extitit. Vener. autem ERNEST. MATH. DITMARI Praepositi Raceburgensis filium, sagacis ingenii iuuenem, per anni vnus spatium,

spatium, literas et musicam artem docui, vt *Stöueri, Lindii*, honestissimorum hominum, aliorumque filios iam non commemorem.

Multis pater grauibufque de cauffis confilium me Helmftadium mittendi inuit. Abeunti autem mihi, haec demitte in animum, fili, inquit, nouiffima mea verba: Haut perfunctorie philofophiae operam dato. In fcitis autem philofophorum nihil quidquam auctoritati eius qui eloquitur dato. Sectae nulli nomen dato, nec antiquorum praecipua contemnito, nouis non femper fidem habero. Praefertim caue tibi ab eo, vt ne qua fcita philofophorum cum diuiniore doctrinae oraculis imprudenter permisceas, vel has ad illas inconfiderate transferas. Quod enim fi ausus fueris, praeter temetipsum, alios etiam complures, praecipue vbi diuini verbi praeco euaseris, a recto fidei tramite feuoabis.

Aduenienti mihi in hac alma academia A. R. S. MDCCLII. Kalendas Octobres, Illuftris GODOFRED. LVDOV. MENCKENIVS confilium, quo modo vitae mihi rationes fint componendae, dedit. Cuius etiam Viri abundantem in me fauorem, inter magna illa, quae fanctum atque adorandum Numen in me extare voluit fuae misericordiae testimonia, refero. Hic primum vt Celeberrimi IOH. CHRISTI. WERNSDORFII domo exceptus beneuole fim, effecit: deinde etiam Magnifici nunc Proceptoris, ac Summe Venerandi Viri IOH. BENEDICTI CARPZOVII, fauorem mihi conciliauit, qui

literarum humanitatis amorem, ut est magna vis eruditionis ipsius, in me accendit. Quid quod ita humanissime ab eo sum habitus, ut in me vno commeritius esset Vir Magnificus, qui elogio Optime Merentis de literis et earum cultoribus, ornatus sit. Communi mihi etiam tanto cum Viro domicilio uti licuit, quum CHRIST. FRIDER. WEYGANDVS, senator ac bibliopola huius ciuitatis spectatissimus, filii sui mihi demandauit curam, cuius quadra per tres prope annos vixi, et per multa eidem fero accepta, quae meum erga ipsum amorem, gratissimumque augent animum.

Quorum Professorum interfuerim acroasibus, quum celeberrima sint nomina, speciatim quidem recensere honori mihi duco. Philosophiae omnem ambitum apud b. CAROL. GERH. GVIL. LODTMANNVM, et denuo logicam apud eundem; metaphysicam apud Summe Venerandum SCHVBERTVM; physicam apud Experimentiff. KRÜGERVM, mathesin penes Excellentiff. IOH. NIC. FROBESIVM, didici, ac Celeberrimi WERNSDORFII lectionibus in Horatium interfui. Apud S. Ven. VON DER HARDT, Ampliff. CAR. ANTONIVM et BODIVM, Analytica Collegia in libros Biblicos Vet. Testamenti frequentavi. Iam in dogmaticis denuo S. V. SCHVBERTVM, in theologia morali et homiliterica Summe Vener. CHRISTO. MATTH. SEIDELIVM, Ephorum Scholae nostrae grauissimum, auscultavi. Praecipue vero, non interrupto tempore per triennium, denuo in dogmaticis, polemicis, hermeneuticis, philologicis ac graecis, magnam vim doctrinae Magnifici

CARPZO.

CARPZOVII, admiratus sum, cuius etiam Collegio disputatorio interfui.

Aliquod quidem scribendi periculum in *Ontologia Ciceronis*, feci. Alio tempore dissertationem historico theologicam de *syncretismo philosophiae et theologiae reuelatae*, exaravi, eandemque publicae ventilationi, Magnifico ac S. V. Viro, CARPZOVIO, praefide, exposui. Defendi autem et philosophicam disputationem Doctissimi SCHOLZII A. M. in qua exactam generalem scientiarum moralium diuisionem protulit.

Hisce intentus studiis, accidit, vt Clariss. M. IOH. PETRVS MILLERVS Rector huius scholae, Halam vocatus, sua statione decederet. Obseruantissime petii eandem prouinciam. Atque receperunt non solum Patronus per omnem vitam meam venerandus Illustris et Excellentiss. LICHTENSTEINIVS, Amplissimique Patres huius ciuitatis, hoc nomen, sed me etiam, qui reapse in locum Rectoris et Subprioris in coenobio Mariaeuallensi sufficerer, legerunt ac vocarunt. Itinere deinceps Guelpherbytum facto, Patronis rationem studiorum meorum consueto examine reddidi, docendique in Schola specimen edidi. His peractis sacramento ad subeunda officia Rectoris adstrictus sum. Qua occasione, est sane quod gloriar, quum mihi adeo esse felici licuerit, vt Amplissimos ac Venerandos Proceres SLÜTERVM, OLDEKOPIVM, quorum nomina omni aeuo memoranda sunt, accedere potuerim. Praecipue Illustris WEICH-

MANNVS Sereniff. Duci a consilijs aulae et ecclesiasticis, suo me, quo fertur in literas humanitatis, amore allexit, vehementerque excitauit. Denique Bibliothecam Augustam Guelpherbytanam aliquanto perlustrauit, quae splendore ac numero Alexandrinam bibliothecam vincit.

Ceterum capeſſam hodie Rectoris munus rite inaugurandus, et in has partes sanctissimum Deum, cui sempiterna laus, gloria, et honos debetur, voco, gratesque persoluens humillimas, quod me hominem peregrinum tanta beare felicitate voluit. Ille beneficia, a Patronis meis accepta, larga compenſet manu ac cumulet! laboribusque meis ad incrementa literarum bonarum et praecipue huius scholae, (cui me toto animo cupio consecratum,) tendentibus, prosperos successus, per Christum, largiatur!

Hinc itaque factum est, vt in eum potissimum *Patrum Ciuitatis* animi conuerterentur, eumque prae aliis dignum haberent, quem in locum desideratissimi *Milleri* substituerent, lampadaque ab hoc relicta ipsi tradi curarent. Quam vocationem cum non sine Numinis sapientissimo consilio sibi obtingere perspiceret, iubens ac alacer votis ipsorum subscripsit, atque hoc scholae regendae munus suscipere constituit.

tuit. Nos igitur de eo certo sperare poterimus, cum talem futurum Scholae Rectorem, qualem eum ante cognitum iudicauimus, nempe ab eo tam in literis quam in bonis moribus iuuentuti scholasticae optime prospectum iri.

Cum igitur omnia, quae ad ipsum demandato muneri praeficiendum pertinent, iam sint ex voto confecta, superest, ut ipsimet illud solemniter ritu ac more tradatur. Destinauimus huic negotio futurum, d. XXIV. Februarii, in quo breui oratione exposituri sumus, *Rectorum seu scholae magistrorum filios, optimos posse euadere scholarum moderatores*; id quod in *Nabm machero* nostro luculentissimo exemplo, ac futura spe et salute scholae nostrae haud frustranda nos liquido comprobaturus esse confidimus. Quo facto ipse oratione adituali, *de modo, quo in ludis literariis philosophia tradi, sine literarum humaniorum detrimento, possit*, munus istud, faxit Deus ut quam saluberrime, est auspicaturus. **MAECENATES**
itaque

itaque, PATRONOS, FAVTORES-
que LITERARVM HVMANIO-
RVM, vt sollemni huic actui interesse, suo-
que frequenti conuentu eum ornare ve-
lint, omni obseruantia rogo. Dabam
Helmstadii d. XVIII. Februarii.
M DCC LVI,



00 A 6427

ULB Halle
002 927 292


3



0018

R





B.I.G.

Farbkarte #13

24 29

IGVRATIONEM
RECTORIS
OPPIDANA HELMSTADIENSI
VIRI
IMI ATQVE DOCTISSIMI
DOMINI
I NAHMMACHERI

L. CANDID. DIGNISSIMI
XIV. FEBRVARIJ MDCCLVI.
SVSCIPIENDAM

INDICIT
ET SIMVL
S PATRONOS FAVTORESQVE
ARVM HVMANIORVM
M PRAESENTIA SVA ILLVSTRIOREM
REDDERE VELINT
ANTISSIME ET OFFICIOSISSIME
ROGAT
RVS TIMOTHEVS SEIDELIVS

BRVNOVIC. AC LVNEBVRGENS. A CONSIL. ECCLES.
LIBER. REGIAE - LVTTER. SVPERINT. GENERAL.
PROF. PRIMAR. ET PROT - ECCLESIAST.
SCHOLAE EPHORVS,

HELMSTADI
ERIS LEVCKARDIANIS.